



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

LXXXI. S. Agatho.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

A. DCLXXVI.

DONVS.

DONVS, natione Romanus, ex patre Mauritio, sedit annum 1. menses 5. dies 10. Hic ordinavit Episcopos 6. diaconos 5. Post electionem huius Augusto mense apparuit stella præfulgida valde in oriente. Oriebatur autem assidue in gallicantu apparetis usque mane, sed emenso trium mensium spacio suæ pulchritudinis radios nunquam parens abscondit, quam in eadem plaga orientis innumeræ multitudinis hominum mors secuta est. Huius tempore Ecclesia Rauennæ, quæ prius acephalicum caput contra Romanam Ecclesiam erexerat, denuo fracta ceruice superbiæ Apostolicæ sedi humiliata subiacuit. Obiit autem iste 3. Idus Aprilis.

LXXXI.

A. DCLXXVIII.

S. AGATHO.

AGATHON, natione Siculus, sedit annos 2. menses 5. dies 4. Hic ordinavit Episcopos 18. presbyteros 10. diaconos 4. Legati Constantinopolim directi è latere huius Papæ Macarium Antiochenum patriarcham in Synodo deposuerunt, quia duas naturas & voluntates in Christo esse negauit. Prædictus Papa hoc obtinuit apud Imperatores, Constantinum videlicet, & Heraclium, & Tiberium, ut iuxta postulationem suam remitteretur quantitas illa, quæ solita erat dari pro ordinatione Romani Pontificis facienda: sic tamen, ut si contigerit post eius transitum vel electionem ordinationem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi prius decretum generale deferatur in regiam urbem secundum antiquam consuetudinem, & cum eorum, id est, Imperatorum scientia & iussione ordinatio debeat prouenire. Hic defunctus est 4. Idus Ianuar.

LXXXII.

A. DCLXXXIII.

S. LEO II.

LEO, natione Siculus, ex patre Paulo, sedit menses 10. dies 17. Hic fuit eloquentissimus, græca & latina lingua eruditus. Hic fecit constitutum, ut qui ordinatus fuerit Archiepiscopus nulla consuetudine pro vsu pallii, aut diuersis officiis Ecclesiæ persolvere debeat. Hic ordinavit Episcopos 21. presbyteros 14. diaconos 3. Defunctus est autem 4. Kalend. Iulii.

LXXXIII.